



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 2. In quo consistit materia & forma Sacramentorum?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**

De Sacramentis. Cap. IV. 15

Ius: Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.

C A P U T IV.

De partibus necessariis ad constituendum Sacramentum.

Quaest. I. QUÆNAM sunt partes necessariae ad constituendum Sacramentum?

Resp. Omnia Sacramenta, ut ait Concilium Florentinum, tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis, tanquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia; quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum. Idem statuit & decrevit Concilium Tridentinum. sess. 7.

Conc. Florent. sub Eugenio IV. in Armenorum Decreto.

Quaest. 2. In quo consistit materia & forma Sacramentorum?

Resp. Quemadmodum in compositis naturalibus, vocamus materiam id quod determinari debet ad tale esse per aliud, formam vero vocamus quod ipsam materiam ad aliquid determinat, ac perficit; ita in Sacramentis res sensibiles quæ ex se indifferentes sunt ad significandum plura, dicuntur materia, & verba illa determinantia ad tale significandum, dicuntur forma: Ex verbis & rebus, inquit sanctus Thomas, fit quodammodo unum in Sacramento, sicut ex forma & materia, in quantum scilicet per verba perficitur significatio rerum. Et ibidem in corpore articuli sic habet: Aqua enim significare potest & ablu-tionem propter suam humiditatem, & refrigerationem propter suam frigiditatem: sed

D. Th. 3. p. q. 60. art. 6. ad 2.

ibidem in corp. articuli,



cum dicitur : Ego te baptizo, manifestatur quod aqua utimur in Baptismo, ad significandum emundationem spiritualem.

Quest. 3. Materia & forma sunt-ne partes essentielles Sacramentorum ?

D. Tho. in  
4. sent. dist.  
1. q. 1. art.  
3. ad 2.

Resp. Ita planè. Verba & res, hoc est materia & forma, ait Divus Thomas, sunt de essentia Sacramenti. Et alibi, ait: In Sacramenti verba se habent per modum forma, res autem sensibiles per modum materia.

D. Th. 3. p.  
q. 60. art. 7.  
in corp.

Quest. 4. Quisnam instituit materiam & formam Sacramentorum ?

D. Th. 3. p.  
q. 64. art. 2.  
ad 1.

Resp. Christus Dominus: Illa quae aguntur in Sacramentis, ait Divus Thomas, per homines instituta, non sunt de necessitate Sacramenti; sed pertinent ad quamdam solemnitatem, quae adhibetur Sacramentis ad excitandam devotionem & reverentiam in his qui Sacramenta suscipiunt. Ea verò quae sunt de necessitate Sacramenti, ab ipso Christo instituta sunt qui est Deus & homo. Et licet non sint omnia tradita in Scripturis, habet tamen ea Ecclesia ex familiari Apostolorum traditione, sicut Apostolus dicit, I ad Corinth. II. CÆTERA, CUM VENERO DISPONAM.

Quest. 5. Quid intelligis per intentionem quae requiritur ad validitatem Sacramentorum ?

Conc. Trid.  
sess. 7. Can.  
11.

Resp. Intentio est actus voluntatis in aliquem finem se moventis. Definitum est autem in Concilio Tridentino, intentionem esse necessariam ad confectionem Sacramentorum: Si quis dixerit, inquit, in Ministris dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.

Quest. 6. Quoruplex est intentio ?